



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput XXVI. Gratia Curationum & Commercium cum Defunctis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

C A P U T XXV. 163

Et defossus securus dormies. Requiesces, Et non erit qui te exterreat: Et deprecabuntur faciem tuam plurimi. oculi autem impiorum deficient, Et effugium peribit ab eis, Et spes illorum abominatio anima.

De Turcici imperij excidio, clarè & cum exultatione Spiritûs ajebat, inchoandam brevi ruinam ipsius, ideóque Societatem eo nomine hortabatur ad Græcæ linguæ studium, quòd essent (secundùm reliquas linguas) Constantinopoli Christianam doctrinam aliquando explicaturi; illisque Regionibus reddituri gratiam à Constantinopolitanis Præfulibus SS. Cyrillo & Methudio, hisce partibus olim invectam.

C A P U T XXVI.

Gratia Curationum & commercium cum Defunctis. ;

DEcubuerat Henricus Ulrich Tyro Coadjutor Societatis Nostræ Anno 1627. in Decembri, ad mortem, à Medico & chirurgo desperatus, & jam per noctem, vigilantia duorum commissus, ut extremo exspirantis periculo adessent. Precatus illi fuerat bonam noctem P. Martinus circa Nonam Vespertinam, monuitque solum

X 2

DEUM

DEUM desperatis humanis mederi posse, quem etiam ipse pro incolumitate precaturus esset. Surrexit mox sanus alterâ die, ad præsentium stuporem, & viginti aliquot annos supervixit.

Qualiter sanitatem obtinuerit R. P. Wenceslaus Hermanus, 4. Maij Pragæ 1649. hisce in Gloriam DEI, acceptæ suæ sanitatis beneficium testatus fuit: Anno, inquit, 1649. 2. Aprilis, feriâ 6. Parasceves, mitissima DEI manus, dignata est mihi largiri minimas sacratissimæ Passionis Christi reliquias, & morbo graviore me visitare, qui tamen à pluribus Medicis agnosci non potuit. uno mense crescente sic occultè malo, vehementerque aucto, tandem rem deprehendit Collegij Medicus, dixitque pulmones dorso accrescere. & licet malum incurabile assereret, duo tamen præscripsit remedia. Unum fuit: emplastrum calefactivum. alterum: vehemens corporis agitatio & concussio. primum negligenter. alterum, non tantùm malum non sustulit, sed etiam graves dolores & ardores capitis causavit, qui me lectulo affixerunt. Dùmque illis tribus diebus & noctibus continuò affligerer, & adhibita remedia proficerent nihil: 4. Maij in vespertina consueta recreatione, fuit apud me R. P. Martinus Stredonius, afflictumque solatus dixit: me ex hac infirmitate sanum evasurum, & adhuc aliquam

quam

quamdiu Crucem Christi portaturum. Dein horâ octavâ abire volens à me, propius ad lectulum accessit, utrâque manu tempora mea attigit, & caput meum sacrâ cruce signavit; quâ ego cum consolatione interna singulari, fiduciaque in DEO, & Viri sanctitate, exceptâ, statim notabiliter melius habere cœpi; paulo post obdormivi, & nocte totâ suavi somno transactâ, manè, omni ardore & dolore capitis liber surrexi. tussis cum gravibus dorso doloribus notabiliter cœpit minui, & paucis diebus post, malum utrumque se perdidit, nec ab illo tempore quidquam reliquiarum doloris ejusmodi sensi. hæc ego illis diebus annotavi, & ita omnia contigerunt, licet ea coram Medico, qui suis medicinis sanitatem meam adscripsit, subticuerim. Wenceslaus Hermannus.

Deciderat anno 1642. unus è Tyronibus, Christophorus Mitschke, ad subjectam fossam 20 cubitos profundam Brunæ, ex ambitu altiore in cellarium futurum, jacuitque exanimi similis. ad quem effatus P. Martinus : DEUS, inquit misereatur tui. mox venam aperiri jussit, & incolumem reddidit. Sanctè, ut loquimur, affirmavit Georgius Senel Coadjutor Noster, jam, & eo tempore, quo R. P. Martinus Stredonius ultimùm Brunæ infirmabatur, Apothecarius, gravissimis dentium doloribus, per plures an-

nos se laborâsse, & repenti liberatum esse, cum collectum strophio sanguinem Patris Stredonij genis suis post plures annos ab ejusdem morte applicuisset; itaque secum actum esse sub applicatione strophij agebat, quemadmodum discutitur ac dissipatur formicetum, malo illo in mille velut formicas diviso ac penitus dispulso.

Jam ad Umbras veniamus. Cum ex officio Provinciam Bohemiæ moderaretur, sciverat de suorum morte, antequam nuntia mortis litteræ appulissent. agebatque modestè, nihil novi sibi esse, cum Umbris agere.

Rogatus fuerat à germano suo P. Andrea, quid de Matre sua sentiret, verumne diceretur, vitam sapius domi suæ post mortem? Respondit incunctanter, Matrem suam aliquo tempore in Purgatorio fuisse, quod ex aliqua incuria reddidisset abortum.

Incesserat P. Martinum aliquando Sacri tempore, desiderium rescindi, quid in altera vita cum amicissimo sibi P. Georgio Sigismundi ageretur? & mox audivit vocem: *Dextera Domini exaltavit me.*

Postquam sollicitè curâisset piè defuncto Patri Philippo Streit Elogium Vitæ religiosè exactæ confici, defunctus Patri Martino sese noctu videndum exhibuit, agens operosè gratias pro honore sibi impenso, & DEO in servo suo

fuo laudato. Quod ipsum P. Martinus clarè narravit, voluitq; Elogio Patris Streit adjungi.

Proprio chirographo R. P. Andreas Schambogen reliquit, audivisse se ex ore Patris Andreæ Duboison, viri apprîmè Religiosi, Melchiorem Reichel Coadjutorem Societatis, Pragæ Cocum, pridie mortis, quam obiit peste correptū Anno 1649. curâsse sibi ægroto ad colloquiū advocari ipsum P. Duboison, & aliquos alios Nostros, inter quos fuerat Leonardus Spatz Coadjutor; illisque narrâsse somnium vivacissimum quod habuerat. se nimirum mortuum venisse ad terribile Purgatorium; post dies quinque mortuum etiam fuisse P. Provincialem Stredonium, venissèque ad Purgatorium ac dixisse: Charissime Melchior, quid hîc agitis in Purgatorio? expedite vos & mecum festinate in cœlum. seque mox cum ingenti animarum turba secutum fuisse Animam P. Stredonij ad Gloriam, & subitò expergefatum. Respondit somnio eventus. Melchior ille, obiit quinque diebus ante P. Stredonium. ille Pragæ, hic Brunæ, cùm eo tempore Pragæ, nè minimo rumusculo notum fuerit, P. Stredonium ægro-
tare.